

oppida ille in Italia haberet, hosti adimeret: quia tamen Regis animum haud satis exploratum habebant, confestim partem equitum non parvam, quam circa Veronam & Patavium stativa habebant, in Carnos misere. Barbari vero per Utinensem agrum pacatissime progressi, cum subito oppidum, cujus potiundi spes ab extorribus facta erat, opprimere nequivissent, paucis diebus sine alio majore motu Italia excessere.

Exierat jam medius autumnus, cum Rubertus Severinas (qui jam inde ex quo in Gallia fuerat bellatum, Venetorum stipendia fecerat) magnis pollicitationibus ab Innocentio Romano Pontifice, qui Sixto successit, per legatos accersitus, Patribus non permittentibus, neque omnino recusantibus (quippe qui pacate tunc terra marique agebant) cum Fracasso & Galeacio filiis, duabusque & triginta equitum turmis in Flaminiam primo, inde Romanam media ferme bruma transiit; sed ipse aliquanto suos præcesserat: urgebatur enim Pontificis nunciis, qui proximo bello ab Alphonso Calabriae Duce premebatur. Contracti autem belli causa ab Aquilanorum motu, ac Principum quorundam, qui a Ferdinando Rege subita conspiratione defecerant: qui cum Innocentii fidem adversus Regem implorassent, eosque Pontifex dignos duxisset, quos non solum sui nominis auctoritate, sed totis etiam Romanae Ecclesiae viribus ab injuria tueretur, ita evenerat, ut Virginus Ursinus, qui (velut alio loco ostendimus) præter oppida non pauca urbi proxima, quæ citra ultraque Tyberim tenebat, multa etiam in Marsis usque ad Fucinum lacum intra regni fines jam antea possidebat, in fide Regis adhuc esset. Fuitque illi ab initio, ut fertur, animus, neque a Rege omnino deficere, neque adversus Romanum Pontificem aliquo modo arma induere: sed majorum studia secutus, cum Ferdinandi partes in regni finibus tutatus esset, nihil circa urbem movere. Sic itaque medius sub novos bellorum motus pacate agebat: cum post Severinatis accessum, suasu, ut creditur, Principum adversæ factionis, Ursinorum ædes, quæ ad Montem Jor-

*Severinas
cum florentissimo equitatu ad bellum nuper ortum proficiscitur.*